

per aliquam remotam Commissionem, sed jam statim sine dilatione, per benigna suae Majestatis Decreta, ex utraque Cancellaria, tam pro Regnicolis damnificatis expedienda, quam etiam Dominis Generali ipsorum et Capitaneis, atque adeo ipsis etiam Valachis dirigenda; in pristinam Dominorum Terrestrium obedientiam resignentur ac restituantur, restitutive ac resignati habeantur eo facto. Super quo etiam, sua Majestas benigna sua Decreta (rebus sic stantibus) obtulit.

§. 2. Casu vero, quo tales Valachi, jam recenter a Jurisdictione Dominorum Terrestrium avulsi, vel sponte recedentes, ad pristinam Dominorum Terrestrium obedientiam, placidis mediis reduci non possent; vel redire nollent; extunc Domini ipsorum Terrestres, jure suo in eosdem utendi et consequenter hujusmodi Valachos, veluti rebelles, ex bonis suis ejiciendi, vel aliter eosdem in rebus et personis ipsorum puniendi; habeant facultatem.

*De coercendis Valachis, in possessione Oszek commorantibus.*

Articulus 92.

Ac tametsi annotati Valachi, utcunque Privilegiati, in praetensis ipsorum statutis, per expressum haberent; ut cuilibet illorum Pago certi limites praescriberentur, certi tamen de caetu ipsorum Valachi, in Possessione Oszek commorantes, non solum contra Leges et Libertatem Regnicolarum et Regni, sed etiam contra praetensa statuta sua, extra metas inhabitatae per ipsos Possessionis, in vicinos Regnicolarum montes et metas excederent; et praesertim in desertam Possessionem Czunovicz Nobilium Comitatus Crisiensis, uno circiter miliari, a Possessione ipsorum distantem, violenter sese ingerant, diversaque furta, latrocinia, ac depraedationes, vulnerationes et caedes, in circumjacentes Nobiles et Regnicolas exercerent ac continuarent; imo Catholicos etiam pueros in Turciam venderent, ac in mediis Regni visceribus commorantes, publicam tranquillitatem illius Regni turbarent:

§. 1. Dignum proinde judicassent et supplicassent Status et Ordines; ut pro tranquillitate illius Regni praescriptos Valachos, in eadem possessione Oszek commorantes, velut dissensionum fomites, ad ultiores Confiniorum partes, sua Majestas transferri curare benigne dignata fuisset: Salvo tamen fundo ejusdem possessionis, pro Dominis Terrestribus remanente:

§. 2. Verum sua Majestas, eam dictorum Valachorum ad ulteriora Confinia translationem, in praescripta Viennensi commissione tractandam et complandam clementer remisit.

§. 3. Interim vero eosdem Valachos delinquentes, ab ulteriori vicinorum montium, et metarum usurpatione et hostilitate in Regnicolas exercenda; condigna animadversione coercendos, ac ad restitutionem, refusionemque ablatorum compellendos esse; sua Majestas benigne annuit et ad justitiam ex ipsis administrandam, ad Generales et Justitiosos illorum, benigna Mandata obtulit; quam etiam suam oblationem benigne effectuare dignabitur. \*)

\*) Renovatur et urgetur; An. 1681. a. 65.